



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

2 [i. e. 3] vtrum appetitus vnitatis sit causa doloris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

ARTICVLVS II.

Vtrum concupiscentia sit causa doloris.

Atum praesentialiter apponitur, quod dolorē causat. AD TERTIVM Dicendum, qd concupiscentia est delectabilis, quandiu manet spes adipiscendi, qd concupiscitur: sed subtracta spe per impedimentum appositum, concupiscentia dolorem causat.

ARTICVLVS III.

Vtrum appetitus unitatis sit causa doloris.

AD TERTIVM sic procedit. Videtur, qd appetitus unitatis non sit causa doloris. Dicitur n. Philosopho in 10. Ethic. qd hec opinio, qd posuit, repletionem esse causam delectationis, & incisionem causam tristitia, uidetur esse facta ex delectationibus, & tristitiis qd sunt circa cibum: sed non omnis delectatio, uel tristitia est huiusmodi. ergo appetitus unitatis non est causa uniuersalis doloris, cum repletio ad unitatem pertineat, incisio uero multitudinem inducat.

¶ 2 Præ. Quaelibet separatio unitati opponitur. si ergo dolor causaretur ex appetitu unitatis, nulla separatio esset delectabilis; quod patet esse falsum in separatione omnium superfluum. ¶ 3 Præ. Eadem ratione appetitus coniunctionem boni, & remotionem mali: sed sicut coniunctio pertinet ad unitatem, cum sit unio qdā, ita separatio est contrarium unitati. ergo appetitus unitatis non magis debet poni causa doloris, qd appetitus separationis.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit in 3. de li. arb. qd ex dolore, quem bestiae sentiunt, satis apparet in regendis, amandisque suis corporibus, qd sint animae appetentes unitatis. Quid n. est aliud dolor, nisi quidam sensus diuisionis, uel corruptionis impatiens?

RESPON. Dicendum, quod eo modo quo concupiscentia, uel cupiditas boni est causa doloris, et appetitus unitatis uel amor, causa doloris ponendus est. Bonum n. inuisibile, rei in quadam unitate consistit, prout. f. unaquaeque res habet in se unita illa, ex quibus consistit eius perfectio. unde & Platonici posuerunt unum esse principium, sicut & bonum: unde naturaliter unumquodque appetit unitatem, sicut & bonitatem. & propter hoc sicut amor, uel appetitus boni, est causa doloris, ita et amor, uel appetitus unitatis.

AD PRIMVM ergo dicendum, qd non omnis unio perficit rationem boni, sed solum illa, a qua dependet esse perfectum rei, & propter hoc etiam non cuiuslibet appetitus unitatis est causa doloris, uel tristitia, ut quidam opinabantur, quorum opinionem ibi Philosophus excludit per hoc, quod quaedam repletiones non sunt delectabiles: sicut repleti cibis non delectantur in ciborum sumptione. Talis enim repletio, siue unio magis repugnaret ad perfectum esse, qd ipsum constitueret: unde dolor non causatur ex appetitu cuiuslibet unitatis, sed eius in qua consistit perfectio naturae.

AD SECUNDVM dicendum, qd separatio potest esse delectabilis uel in quantum remouetur illud quod est contrarium perfectioni rei, uel in quantum separatio habet aliquam unionem adiunctam puta, sensus bilis ad sensum.

AD TERTIVM, dicendum, qd separatio nociuorum & corruptentium appetitur, in quantum tollunt debitam unitatem: unde appetitus huiusmodi separationis non est prima causa doloris, sed magis appetitus unitatis.

IN ar. nota Nouitiae, quod malū, qd est obiectum tristitia, ponitur finis appetitui motus, nō ut prosequendus, sed ut fugiendus: sic enim est tristitia finis.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur, quod concupiscentia non sit causa doloris, seu tristitia. Tristitia enim per se respicit malum, ut dictum est: concupiscentia autem est motus quidam appetitus in bonum: motus autē

qui est in unum contrarium, non est causa motus qd respicit aliud contrarium: ergo concupiscentia non est causa doloris.

¶ 2 Præ. Dolor, secundum Damascē, est de praesentia, concupiscentia autem est de futuro: ergo concupiscentia non est causa doloris.

¶ 3 Præ. Id quod per se est delectabile, non est causa doloris: sed concupiscentia est secundum se ipsam delectabilis, ut Philosophus dicit in 1. Rhet. ergo concupiscentia non est causa doloris, seu tristitia.

SED CONTRA est, qd Aug. dicit in Enchir. Substantibus ignorantia agendarum rerum, & concupiscentia noxiarum, comites subinferuntur error & dolor: sed ignorantia est causa erroris, ergo concupiscentia est causa doloris.

RESPON. Dicendum, qd tristitia est motus quidam appetitus animalis: motus autem appetitiuus habet, sicut dictum est, similitudinem appetitus naturalis, cuius duplex causa assignari potest. Vna per modum finis, alia sicut unde est principium motus, sicut de scensionis corporis grauis causa sicut finis, est locus deorsum: principium autem motus est inclinatio naturalis, quae est ex grauitate: causa autem motus appetitiui per modum finis, est eius obiectum: & sic ut pra dictum est, qd causa doloris seu tristitia est malum coniunctum. Causa autem sicut unde est principium talis motus, est interior inclinatio appetitus, qui quidem per prius inclinatur ad bonum, & ex consequenti ad repudiandum malum contrarium: & idem huiusmodi motus appetitiui primum principium est amor, qui est prima inclinatio appetitus ad bonum consequendum. Secundum autem principium est odium, quod est inclinatio prima appetitus ad malum fugiendum: sed quia concupiscentia, uel cupiditas est primus effectus amoris, quo maxime delectamur, ut su pra dictum est: idem frequenter Aug. cupiditatem, uel concupiscentiam pro amore ponit, ut supra dictum est: & hoc modo concupiscentiam dicit esse uniuersalem causam doloris, sed ipsa concupiscentia secundum propriam rationem considerata, est intermedium causa doloris. Omne n. quod impedit motum, ne pueniat ad terminum, est contrarium motui. illud autem quod est contrarium motui appetitus, est contristans, & sic per consequens concupiscentia fit causa tristitia, in quantum de retardatione boni concupit, uel totali ablatione tristitatur. Vniuersalis autem causa doloris esse non potest: quia magis dolemus de subtractione bonorum praesentium, in quibus iam delectamur, quam futurorum quae concupiscimus.

AD PRIMVM ergo dicendum, qd inclinatio appetitus ad bonum consequendum, est causa inclinationis appetitus ad malum fugiendum, sicut dictum est: & ex hoc contingit, qd motus appetitus qd respiciunt bonum, ponuntur causa motuum appetitus, qd respiciunt malum.

AD SECUNDVM Dicendum, qd illud qd concupiscitur, est realiter sit futurum, est tamen quodammodo praesens in quantum speratur. Vel potest dici, qd licet bonum concupitum sit futurum, tamen impedimen-

Super quest. trigesima sexta articulo tertium.

IN 3. & 4. ar. eiusdem q. 36. nil occurrit scribendum, sed tu collige causas tristitia, & ex parte obiecti hinc per se primo malum coniunctum, & per se secundo bonum amissum, & praeter maiorem, ut auferentem hoc ex parte uero subiecti habes amorem boni, & appetitum unitatis &c.

3. dist. 15. q. 2. ar. 3. q. 1. co.

ca. 3. in mc. c. 10. 5.

Cap. 23. post med. 10. 11.

Ar. 4. cor.

Ar. prae.

li. 2. Orth. si dei. ca. 15. in fine.

cap. 24. in prin. 10. 3.

Art. prae.

D. 990.

Art. prae.

Ar. 4. 2. 1. li. 4. de Civ. Dei. c. 7. & q. 10. art. 1. ad 2.

In corp. 21.